

ADSPIRANTE NUMINIS DIVINI
GRATIA!

De
**CAUSIS STILLI-
CIDII SANGVINIS IN
CADAVERE VIOLENTER
OCCISORUM PRÆSENTE HOMICIDA
CONSPICUI,**
DISSERTATIO PHYSICA,

Quam
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
CONSENTIENTE,

IN ACADEMIA PATRIA;

Publico placidoque Disputantium examini subjiciunt,

M. FRIDERICUS Seuberlich/

Regiom. Pruss.

P R A E S E S,

Et

JOHANN. LUDOLPH. LOCK,

Regiom. Pruss.

R E S P O N D E N S,

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM,

Anno M DC XCVIII. Die 23 August. Horis consuetis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.



INCLYTÆ REIPUBLICÆ CNIPHOVIANÆ
PATRIBUS CONSCRIPTIS,
VIRIS

Præ-Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,
Studio Pietatis, Prudentia laude, Regiminis felicitate rerumq; & usū
& prolixâ experientâ maximè Conspicuis,

DOMINO CONSULI,
DN. PRO-CONSULI,
Cœterisque SENATORIÆ
DIGNITATIS VIRIS,
Ut &
DN. SECRETARIO,

Summis Musarum Patronis, Mecanatibus & Promotoribus meis certisf-
mis, honoris & observantiae cernuô semper cultu suspiciendis.

Impleta spes est, quam dederas, Ceres
Benigna, pagis esurientibus,
Quando famis canam senectam

Divitiae perimunt agrestes.

Implere dudum jam studuit datas
VOBIS PATRONI, spes animus; modò

Propinquior metæ videtur
Primitias studii ferendō.

Præbete pronas his foliis manus,
Adsit favoris mentis agro jubar;
Sic ipse erit cum fruge Vestris
Nominibus sacer atq; Fame!

Sic optat cliens humillimus
JOHANN. LUDOLPH. LOCK, Ref.

IN NOMINE JESU.

§. I.

Multa esse prodigia, plurima miracula, quæ sanguis olim ostendit, nemo, nisi in Antiquitate hospes, in dubium vocare poterit. Non autem omnia omnium discutiemus monumenta, sed tantum quorundam; hinc uno atque altero saltem contenti erimus exemplō.

§. II.

Prodigium sanè erat in imagine Electoris Saxonie cruentata, Anno 1645. ab omnibus observatum; sic enim Theatrum Europæum, fol. 818. part. 5. Ganz wundersam und notable waren die Blut-Zeichen/ so sich dieser Tage Anno 1645. zu Leipzig sehen liessen: unter andern thate des Churfürsten Bildniß etliche Tage Blut schwitzen/ daß/ ob man gleich das Blut abwischte/ dennoch alsbald wiederumb auf dem abgewischten Fleck Blut herfurgedrungen; dieses haben viel Menschen gesehen/ bis endlich das Contrafey auf das Rathaus gebrachte worden.

§. III.

Miraculum autem præ se ferebat illud, quod hicce locorum non procul à Regiomonte in pago quodam, nomine Rudaū/ factum esse legimus: Cùm enim Pastor ejusdem loci in S. S. Coenæ Dominicæ administratione vinum consecratum juveni cuidam porrigere velle bibendum, ecce! illa in parte calicis, quæ ori admoveari debebat, vena sanguinis visa est: Verba Pastoris illius hâc de re sunt sequentia, jussu Serenissimi Electoris typis expressa, & eidem inscripta: Nachdem Eure Churfl. Durchl. in Gnaden einen schriftlichen Befehlich an meine wenige Person ergehen lassen/ mich schriftlich zu erklären/ wie es vor einer Gelegenheit mit dem consecrirren Wein im Kelch gehabt/ so nemlich in meiner anbefohlenen Kirchen zu Rudaū in der Vogtey Schaaken und im Cammer-Amt Grünhoff gelegen/ sich sollte begeben und zugetragen haben/ hat es sich folgender Gestalt also begeben: Als am Sonntage Reminiscere dieses ikt lauffenden 1615. Jahres/ den 15. Tag Martii st. n. 19. Personen gewesen/ die da haben communiciren wollen und sollen/ sind erstlich 5. Personen vorher gegangen

A 2

gen

2

gen/ die den Kelch empfangen/ ist aber nichts im Kelch gesehen wor-
den/ als der klare consecrte Wein : als aber der 6te hinzugegangen/
nemlich ein Knab von 15. Jahren / wie seine Eltern / Vater und
Mutter vor der Beicht mich berichtet / mit Nahmen Lazarus
Blöhmke/ der auch zum ersten mal zum Tisch des HErrn gegan-
gen/ ist/ als ich ihm den Kelch gereicht und an den Mund gesetzt/
aus dem gesegneten Wein von unten / ehe er es genossen / an der
Seiten/ da der Knabe hat trinken wollen / gleichsam eine Alder/
roht Carmassin Blut herfür kommen / und sich in dem habenden Kelch
verzogen / welches ungefehr bey einem Vater Unser lang gewähret/
und ich solches mit unsäglicher grosser Angst Schrecken und Zittern
angesehen/ daß ich auch also bestürzt gewesen/ und von mir selbst nicht
gewußt/ was ich thun oder lassen sollte/ bis sichs endlich immer gemäß/
lich wieder in klaren Wein verwandelt hatte. Ehe aber solche Ver-
wandlung ganz uad gar geschehen / weil ich mich in der Eyl wegen
heftigem Entsezens/ wie männlich/ so in det Kirch gewesen / geset-
zen/ nicht habe besinnen können / ob ich mit der Austheilung des
Kelches folte fortfahren oder nicht/ habe ich dennoch eingehalten/ und
den Edlen/ Ehrenwesten Juncker von Oelzen/ auf Plutwinnen Erbs-
assen / dee damahls in der Kirch gewesen / gewincket und zu verste-
hen gegeben / er wolte für dem Altar kommen / und ein solches mit
ansehen/ welches er denn auch gesehen/ und wiewol ziemlich langsam
auf mein drittes Wincken allererst kommen / wie es sich fast ver-
wandte / und dennoch mit grosser Verwunderung das Blut im
Kelch gesehen/ und wieder in seinen Stand gangen. Über das hab
ich zum Ueberfluß ein Düslein/ so ich hiemit unterthänig offerire/ auf
dem Altar gehabt/ damit man stets nach der Communion den Kelch
pfleget auszuwischen / und hab ich mit dem erwehnten Düslein ein
kleines Zeichen mit grosser Furcht aus dem Kelch genommen/ welches
roht geblieben/ noch zu sehen und zu erkennen/ auch von vielen Men-
schen/ nicht allein den Communicanten/ sondern auch andern/ so es be-
gehret/ alsbald nach der Communion ist gezeigt und gewiesen wor-
den. Dabam Rudau/ den 24. Martii Ao. 1615.

§. IV.

Possemus, si angustia chartæ permitteret, infinita talia ē penu An-
equitatis depromere; verūm cūm alia non minoris quoque sint æstimii,
illa

illa potius considerare placet. Inprimis verò sese nobis offerunt stillicidia sanguinis, in hominis violenter occisi cadavere conspicui, præiente homicidâ, de quibus, ante omnia verò ipsorum causis, brevibus, DEI gratiâ adjuti, agere constituimus: *Iesus annuat.*

§. V.

Antequam verò ad nostrum nos conferamus propositum, &c, quid judicij ferendum, suppeditemus, lubet inquirere, Scriptaque Veterum diligenti temere manu, atque sic probare, quod nonnunquam cadavera hominum extiterint, quæ sanguine stillarint.

§. VI.

Ecce autem primò statim intuitu sese nobis offerunt tot, quot ferè ne perlegere quidem, multò minus allegere possumus. Anno 1510. in Bacchanalibus, die Martis, interfactus est Johannes Albusser, (apud Albussem in Mosbaciensi Parochia) in Sulzbergo, punctione non magna super genu, nec percussor sciri potuit. Quatuor post ea septimanis, iterum die Martis, fratres & propinqui illius duos aucupes ex Kelenberga in Provinciale Judicium Campidonum adduxere, ac de cœde accusare: illi se innocentes affirmârunt; sententia lata est, ut jurejurando se purgarent duobus digitis, inter quos alba lana, in vulnus impositis; annon aliqua vulneris mutatio secutura esset. Primò jurante, nihil novi fecerunt, altero autem, rubore cœpit vulnus & sanguis exire per pedem defluens, populo cernente numeroso: tunc Judices illum, ut cœdis autorem, capitis damuârunt, quod suppicio etiam affectus est publicâ in viâ, juxta Provincie tribunal ac fanum. Crusius part. 3. Annal. Svevic. Lib. IX. c. 16. p. 537.

§. VII.

Meretur etiam, ut huc afferatur, quod in Cantipratano de Heinrico, Abbe Blesensi, legere est. Erat hic Heinricus, Canonicus Regularis in Urbe Blesensi, in Monasterio S. Mariae de Burgô mediò, qui, cum diu Parisiis studiisset, in Abbatem, licet invitus, ab omnibus eligebar: ecce! verò cum hic in religiosos suos tam hortatus ad regulam servandam, ad honestatem vitæ, &c, ut tenerent in manibus disciplinam, cum rigore usus esset, ab illis per tres scelestissimos Ribaldo occisus est. Roberto autem iure socio ejus evadente, corpus occisi ad Monasterium delatum est, & in Ecclesia collocatum, & vide Lector, quid actum sit & probatum: statim enim sequenti die, ubi ad sepul-

ebrum occisi, de locis ubi exta manebant, rei criminis Ecclesiam intraverunt, vox sanguinis fratris sui Abel de terrâ quasi vindictam clamavit per, vulnera que à loco occisionis sicca remanserunt, abundantissimôg sanguinis impetu in eorum presentia manaverunt. Lib. I. Mirac. c. 16. §. 2.

§. VIII.

In primis verò placet illud, quod nobis Thuanus de Cosmo, magno Hetruriæ Duce, reliquit. Huic, inquit, inter alios liberos erant duo filii, quorum minimus natu Garsias Johannem fratrem, jam cum Cardinalem, vix 16. etatis annum supergressum, ex puerili emulatōne atroci odio nutritō, inter venandum, cùm seorsim à sociis per devia alter in alterum incurrisset, acinace cominus transverberaverat. Cadavere inter vepreta invento, regis ad Cosmum Parentem delata, is suspicatus quod erat, cadaver multâ nocte in urbem inferri & in conclavi edibus suis proximo collocari jubet; tum semotis arbitris ad conclave venit & sevocatum Garsiam ac de fratre interrogatum, cùm factum ille pernegaret, ad cadaver accedere jubet, eōqz renudato & cruore ad percussoris conspectum mox ebulliente: enī inquit, sanguis, fratris tui, qui ultiōrem à DEO aīqz etiam à me deposit. Me miserum! qui tales filios genuerim, aut iis superstes fuerim, quorum unum immāni fratricidiō necatum bisce oculis aspicere cogor, alterum, ne impius & iniquus juris inter meos dispensator sim, è medio tollere, ipsâ pietate suggestente, compellor! scelus est Patri filium interficere, sed majus scelus admittam, si cum vivere diutius patiar, qui per fratris perniciem ad Patris necem & Familiam totam cede ac ferrō evertendam gradum fecit. Tum fatente crimen Garsia & rixa principium dedisse, Johannem affirmante, ita, ut, nisi peste fratris salutem propriam expedire non licuerit, Cosmus, qui mite Johannis ingenium nosset, pugionem, quō ille fratrem confederat & adhuc cinctus eō venerat, eripit, nudumqz strinpeñs, hodie, inquit, pestem domesticam, ne latius exemplō serpat, è visceribus meis evellere decrevi, & quanquam dulcissimi filii cadem non nisi alterius filii, moribus disparis, cede expiare possim malo me posteritas infelicitatem ac durum Patrem prædicet, quam imprudentiae & iniquitatis arguat. Tu verè gaude, quod vitam, quā indignus es, cùm amittere debeas, in Patris manibus, à quō etiam accepisti, depositurus sis: quō dictō

dicto DEum comprecatus, ut factum comprobaret, & santi filio gratiam delicti faceret, cum eodem pugione, quo fratrem confecraret, juxta Johannis Cadaver interfecit, quam calamitatem silentio sopiri voluit prudentissimus Princeps, famâ sparsâ, ex populari morbo, alterum post alterum morte extincos. Lib. XXXII. Histor.

§. IX.

Considerantes hæc Reges vel etiam integræ Republicæ, modum exinde explorandi cædium autores constituere, eundemque, sed injustè, introducere, ausi sunt: Sic Rex Christiernus, Danie II. cùm cadaver Aulici cujusdam perempti, applicati manibus aliorum pectori, nullum sanguinis daret signum, occisoris verò manu applicatâ, tam ex vulnera, quam ex naribus cadaveris magna erumperet sanguinis copia, modum exinde explorandi homicidas fecit, inq; toto suo Regno observari voluit ac jussit, referente D. Clozio in tract. de Sudore Christi sanguineo, Exercit. 14. p. 133. Irmò, & adhuc hodie modus ille explorandi nondum omnino desit: hoc quod sit verum, testatur Amplissimus Conring, quare scribens dicit: Ceterum & aliud adhuc fuit probandi sive purgandi genus, vulgare illud quidem, verum nonnisi circa cædem usurpari solicium: in quem enim homicidii suspicio reciderat, cadaveri ut se fisteret, jubebatur, quo præsente, si cruentari cœperat corpus exanime, defuncti homicida credebatur. Quod si cedes vulnera non fuerat facta, nihilominus adducebatur, qui criminis cræsus suspectus experiundi gratia, an altè reum incidiō esse ostensurus, quod etiam variis factum fuisse modis experientia est testata. Hæc ratio explorandi homicidium viguit & in Italia satis diu, neq; nunc omnino desit: in disquisit. Polit. de forma Judiciorum in Republica recte instituenda: Helmstadii, A.D. 1667. §. 265.

§. X.

Cum itaque probatum dederimus, nonnulla occisorum corporum cadavera præsente occisore & stillare & stillasse sanguine, etiam causæ fillicidii hujus perpendendæ erunt. Ne autem hic Andabatarum pugnemus aut procedamus more, sciendum nobis est, de quibus in primis causis nosfer sit futurus sermo. Novimus equidem quod & supernaturales in filicidiis cadaverum occisorum dentur causæ, quando scilicet Deus supernaturaliter aliquando manifestare vult occisorem

§. XI

Exempla horum sunt obvia: sic Kornmannus ex Cantipratano Lib. II. Mirac. c. 29. §. 22. recenset, malignissimam quandam vetulam, Iudeis familiarem factam Ao. 1271. in villa Pforzheim / puellam annorum septem Parentibus orbaram vendidisse occidendam: hanc igitur in secreto, obstructo ore ejus, in omnibus fere juncturis membrorum incisionibus vulnerarunt, maximò conamine sanguinem exprimentes & linctuam inibus diligentissimè receptantes. Post tormenta defundam, in aquam fluidam propè oppidum projecerunt, & super eam lapidum congeriem posuerunt: tertia verò vel quartā die, per manum erectam ad Cœlum, à pescatoribus est inventa & in oppidum transportata, horrentibus & clamantibus populis, à Iudeis impiis tantum flagitium esse perpetratum. Erat autem in vicinia Marchio de Baden, qui mox auditō tanto piaculō, pervenit ad corpus, statimq; ipsum corpus erectum residens retendit manus ad Principem, quasi vindictam sanguis vel forte misericordiam imploraret: post horam verò dimidiā se deposuit defuncti more supinum; adductis igitur ad hoc spectaculum impiis Iudeis, statim eruperunt omnia vulnera corporis & in testimonium horrendæ necis copiosum sanguinem effuderunt: Iudei verò capti pænam dederunt. Part. 9. de Mirac. mortuorum c. 25. p. 432. Idem fere est, quod Poëtarum non ultimus, Haarsdörffer in jämmerlichen Mord-Geschichten c. 129. p. 444. de opilionis cuiusdam refert cadavere. Cām enim hic Ao. 1607. die 25. April. suum pasceret gregem, à Nobilibus duobus interfectus & fructueto injectus fuit. Judices ejus loci, opilione multūm diuq; perquisitiō, post quatriduum demum sub fructueto eum invenerunt: quoniam verò cedes ista sine testibus facta erat, suspicio in Nobiles, in vicinia habitantes, cecidit, qui etiam capto & ad occisi cadaver rapti sunt. Sed, quid sit? primus, vix limis, ut ajunt, oculis, cadaver adspicerat, ecce! copiosus inde sanguis promanare incipit. Altero verò accedente ipsa interempti dextra adstantibus primò vulnera, post & ipsum occisorem monstravit, quō factum, ut duo illi suspecti Nobiles, cēdis hujus autores sese esse sponte confessi fuerint, sicq; dignum factis suis supplicium luerint. Jam, si accaratori mentis bilance modo allegata consideremus, supernaturale quid iis subesse, dicendum est: Tendere enim, manus ad Principem, ut quasi vindictam exerceat: dextrā

7

dextrâ vulnera & ipsum monstrare occisorem, illa sanè in cadavere supernaturaliter fieri oportet. Agnoscent hoc plurimi, inter illos verò non solum Philippus Melanchton, quando dicit: *admiranda signa interfectorum corporibus divinitus addita sunt, que monstrant autores cedis: nam corpora mortua stillant cruore:* Lib. I. Admir. Physic. f. 44. sed etiam Tympius, scribens: *occulta DEI potestate res Legibus naturæ tam aliena fit, partim ut, quanti sanguinis vinculum fit faciendum, intelligamus, partim, ut homicidii autores hoc modō provocantur:* in Mensa Theol. Philos. p. 191.

§. XII.

Verùm missis illis, ne & hic locorum nos falcem in alienam messem mittere, accusemur, naturales tantum indagabimus causas. Ut autem eò felicius hoc fiat, non stamus à partibus illorum, qui præsentiam homicidæ causam stillicidii in cadavere violenter occisorum esse volunt sufficientem, cùm id non semper eveniat, nec præsente homicidâ tantum, sed etiam aliis fluat, id quod in sequentibus fusiùs deducetur: genuinas ergò causas subjicere animus est. Cùm autem non unius generis causæ in stillicidio Occisorum sese nobis offerant, sed multæ, præcipuas saltem allegâs sufficiat.

§. XIII.

Initiò quidem propterea cadaver occisi aliquando sanguine stillare dici potest, quia sanguis calidique spiritus in venis etiam cadaveris reser vantur: sunt enim venæ quasi vasa sanguinis. Ipse Philosophus hæc innuere videtur, quare in hæc erumpens dicit: *Sanguis in vena calorem detinet & veluti concludit:* Lib. de Spiritu c. 5. Ejusdem sententia etiam est aliò in loco, hunc in modum scribens: *Sanguinis copia caloris indicium est, corpora etiam erigit melius.* Lib. III. de part. animal. c. 6. Jam rebus sic stantibus, nonnisi naturalis subesse potest ratio, quod præsente homicidâ stillicidium in cadavere occisi aliquando sit conspicuum: Si enim venæ sanguinem detinent, si sanguinis copia caloris indicium est, sequitur, quod tamdiu haud fluat, quamdiu in venis existit: contra verò simulacrum venis exit, eò ipsò momento fluat, sicque stillicidium causetur; nec absconum: sicut enim vas liquore adhuc calidò repletum, tandem propullulat, imò fermentatione factâ quævis ebullit: ita etiam sanguis nonnunquam præsente occisore exire sicque fluere potest. *Videre est hoc in Exemplo studiosi cujusdam, inter oppidum Dieben & Lipsiam interfecti, Ao. 1544. cuius cadaver in aquam erat projectum,*

B

nbi

ubi per quatuor integras septimanas jacuit: cùm verò in eodem loco inventum & erutum ex glacie in proximum deportaretur oppidum, inq; hypocausto caleficeret, presentibus civibus & Judice, recenti cœpit stillare sanguine. Manlius in Collectan. LL. CC. p. 307.

§. XIV. Imò externi aëris constitutio calida fluxum sanguinis promovere potest: Si enim frigida transitum vel fluxum sanguini negat, calida certè fluxum sanguinis promovebit. Cùm jam res ita se habeat, haud mirum esse puto, in cadavere occisi exoriri hæmorragiam: In primis multum etiam stillicidio in cadavere occisi conspicuo tribuere videtur maxima hominum in spectaculis ejusmodi frequentia. Non autem nuda id causatur frequentia, sed quia propter hominum frequentiam calidores exhalationes ad aperiendos corporis meatus & humorum fluxiones citandas plurimū inserviunt. Experientiā edoctus probat idem D. Frommannus in Tract. de Fascinat. lib. II. c. 4. §. 3. p. 400. ex diacepst Medic. Phys. Horstii, de casu quodam & admirabili exemplo infantis cuiusdam enecati, quare in hæc erumpens dicit: Infans post ortum à Matre sceleratâ occisus inq; fossam aquâ repletam injectus, post 5. septimanis reperitur. Extractus non præsente Matre, rum temporis adhuc incertâ, inq; hypocauustum deportatus, statim, ubi vim aëris externi percepit, nec non propter calidores adstantium hominum exhalationes, sanguine stillavit plurimō.

§. XV. Deinde & hoc stillicidium in cadavere occisi causari potest, quia scil. venæ putredini sunt obnoxiae. Non autem hic putandum, quasi venæ præter omnem spem & opinionem putrescant, quippe non eadem omnium est natura, quare illæ, quæ cæteris sunt ampliores, durant; illæ autem, quæ minimæ sunt, citius putrescere possunt. Agnoscit hoc Arist. quare scribit: Ut in adæquatione sulci altiores amplioresq; durant, minimi autem, primi ac celeriter limo obducto abolescant, rursusq; deducto apparent: Sic venæ amplissimæ durant; minimæ autem ac primæ actu carnes efficiuntur, quamquam potentia nihilominus venæ sint, quamobrem, et si caro exstet, sanguis tamen inducto vulnere undiq; effluit, atq; sine vena sanguis esse non potest: lib. III. de Part. animal. c. 5. L. D. Quicquid verò horum sit, sive ad longum, sive ad breve temporis spatum durent, tandem aliquando tamen putrescant aut paullatim putredinem sentiant: jam facta putredine venæ solvuntur, nec non sanguinem, si quem continent, emittunt. Ut viæ vel cruce vel sanie vel aliâ quâdam obstructæ materiâ sanguinem elabi non permittunt: Sic contrâ

contrà solutione venarum vel etiam per putredinem factâ, non nisi sanguinem ipsæ protrudere & emittere possunt. Penitus hæc considerans D. Jacobus Martini, amicas nobiscum jungere videtur manus, quare causam stillicidii indigans in cadavere occisi, inter alias etiam hanc tradit dicens: *nos nihil huic rei subesse, imò nihil omnino tribuendum stœtuimus: contingere quidem non diffitemur, ut vel ex naribus, vel ex vulnere occisi sanguis fluat: verùm id non tantum accidere putamus præsente reò & in violenter occisi cadavere, sed quibuscunq; præsentibus, nec non in cuiusdam morbô aliquò extinti corpore, & quidem tum, quando interioris cadaveris partes & humores putrefacere incipiunt: in disput. de cognitione sui, Ao. 1610. Problem. 8.*

§. XVI. Denique, ut ex multis unicam saltem adhuc suppeditamus rationem, dicimus etiam ex hac causa cadaver occisi præsente homicidâ nonnunquam stillare posse sanguine, quando vel leviter etiam corpus occisi commovetur. Fieri autem potest commotio vel à circumstantibus spectatoribus, vel ab attingente personâ vel ab alio principio externo. Jam dictò modò leviter tantum si facta fuerit commotio, sanguis non nisi erumpere ac per nares aliasque vias patentes in corpore elabi poterit. *Prostuit enim sanguis potissimum per ampliora venarum foramina, secundum Arist. III. de Part. anim. 5. lit. f.* Inprimis verò cùm pars vulnerata in cadavere semper sit debilior, ita, ut irruenti sanguini resistere nequeat, facile fieri potest, ut vel levi factâ commotione sanguis eò missus affatim erumpat, præsertim si vulnus nondum coaluerit, corpusque alijs copiosò sanguine præditum sit. Idem ferme est, quod Sperlingius nobis reliquit, quare, *experientia, inquit, de sanguine occisi ad præsentiam homicidæ fallax est: nec enim semper sanguine stillat cadaver, nec quoties stillat, tories adstat homicida.* *In venis cadaveris aliquot dies & septimanias reservatur nonnunquam sanguis, hinc vel levi factâ commotione ad corporis ruit habitum ac per nares aliasque vias patentes elabitur, sive adsit sive absit homicida: in Institut. Phys. Lib. II. c. 3. Quæst. I. p. 299.*

§. XVII. Et hæ sunt rationes satis claræ & perspicue, stillicidium in cadavere occisi præsente homicidâ naturaliter etiam observari posse probantes: possemus, si rei necessitas urgeret, plures adducere, verùm, cùm reliquæ omnes ad modò datas referri possint, non est, ut iis, inhæreamus, quarè, quid statuant alii, numque ipsorum sententia sit amplectenda, videndum erit.

§. XVIII. Non autem unius sunt generis opiniones, quæ hōc de casu circumferuntur, verū multæ: ex omnibus ergo unius vel alius saltem injiciemus mentionem. Primus sit Kornmannus de Mirac. Mort. part. g. c. 23. p. 425. Ejus, dicens, emissionis sanguinis quidam nullam rationem admittunt, sed male; cùm enim anima latet in sanguine, Genes. IV. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: illa^qs invita discedat à corpore ob desiderium, quod tenet erga illud, circum errat illud, & se corpori insinuare tentat. Et Augustinus dicit: animabus jam beatis in cœlo DEum videntibus, inesse quendam naturalem appetitum administrandi corpus, quō retardantur, ne tota liter férantur in DEum. Creditur igitur, inquit, animam, si adsit autor necis, corpus iterum intrare & moveare ad vitam, cum deficiant & languida sint membra, saltem ad vindictam occisoris.

§. XIX. Tria sunt, quæ Kornmannus stabilire videtur, quid dico, videtur, probare posse se credit. Initio quidem, quod anima, si adsit homicida, corpus iterum occupet occisi, & ad vitam, saltem ob vindictam occisoris, moveat, idque ideo, quia anima latet in sanguine, juxta Genes. IV. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Deinde, quod anima invita discedat à corpore: tandem quia Augustinum à partibus suis stare putat.

§. XX. Verū, cùm absurdè absurdā statuat Kornmannus, nos non habet consentientes, sed dissentientes. Si enim vel fugitivo saltem oculō hæc lustremus, certè tot ipsum falsa statuere dicendum est, quot ipsum ferè verba adducere videmus. Quis enim unquam nostrō tempore hujus fuit sententiæ, quod anima à corpore soluta corpus iterum intret? mēa quidem sententiæ, nullus. Olim quidem Plato μετεπυφίχωσιν, quam Pythagor. is excogitavit, defendit, & animam de corporibus ad corpora perpetuis vicibus migrare somniavit: Diogen. Laert. in Vita Philos. lib. III. p. m. 201. Verū cùm anima separata à corpore extra mundanam conservationem in certo suo πῆ existat, i. e. vel in cœlo vel in inferno inveniatur, id quod in Schola Theolog. sanorum, in primis in magno Theologorum Gerhardo, Tom. 8. Loc. Theol. de vita ætern. fuisse deducitur, hoc nullō modō concedi potest: Pythagoricorum inī fabulæ sunt, sine ullo discrimine animas quodvis ingredi corpus, ut candidè docet Philosoph. lib. de anima c. 3. l. b. Possent hæc accuratiū deduci, eorumque falsitas ex eodem principio, quō suos palliare ausus est errores, ostendi, in primis, an rationes Kornmanni tantum habe-

II

Habent ponderis, idque probare queant, quod probare videntur. Sed cum stemus in Cathedra Philosophorum, & talia in primis Theologis discutienda relinquuntur, siccō omnia præteribimus pede: interim allegasse hæc, est eadem refutasse, sicque sufficienter probatum dedisse, nūl minus, quam exinde stillicidium in cadavere violenter occisorum præsente homicidā oriri posse, prouti hoc in ipso disputationis actu, si occasio hāc de re discurrendi dabitur, unicuique ad oculum demonstrabitur.

§. XXI. Kornmannum excipiat Campanella, qui quoque genuinas stillicidii hujus rationes susque deque habens, aliam reddere conatur; quænam autem illa sit, non melius percipere poserimus, quam si ipsa ipsius legerimus verba: Id autem dum facimus, *Liber in primis ejus quartus de sensu rerum & Magia evolvatur necesse est, ubi causam hæmorrhagie hujus in reliquias animæ rejicit, quas in cadavere ad tempus remanere putat, sicut idem, inquit, contingere videmus in cauda anguillarum & pedibus aranearum abscissis, caudisq; lacertarum; cuius sententia etiam fuisse legitur Petrus de Albano, nec non Petrus Gregorius Tholosanus lib. 36. Syntagma Juris universi, c. 20. num. 8.*

§. XXII. Verum firmò hæc niti talò quis dicet? anima enim rationalis, quâ quis homo, omnibus inest, quamvis sensualis, quâ quis animal est, tempore procedente recipiatur: docente Arist. lib. II. c. 3. de generat. animal. lit. d. in fine. Jam verò anima rationalis est à pœris, indivisibilis, quod itidem docet Arist. Lib. 3. de Anima c. 6. quâ itaque ratione & quâ fronte Campanella reliquias animæ defendere poterit? certè id, quod est à pœris, in partes haud distribuetur: solutâ ergo à corpore animâ nihil particularum animæ relinquetur, multò minus stillicidium in cadavere violenter occisorum inde deducetur. Sed simus liberales, & demus, quod tamen aliàs nullò modò dare possumus, stillicidium illud à reliquiis illis animæ profici sci posse, nondum tamen probabile esse videtur, partes animæ avulsas per tantum temporis tractum posse superstites manere, quô hæmorrhagia ista est deprehensa post tempus occisionis, imò, si manerent, non tamen inde determinatò & statò, quô scil. occisor sicutur, tantùm, sed & aliò tempore cadaver stillans reddi posse sequentur, quippe etiam non præsente homicidâ cadaver, ut superius audivimus, sanguine stillavit. Exempla ista adducta quoque hūc non faciunt: licet enim reliquiae animæ fuerint in illis animalibus, non tamen sunt reliquiae, animæ spiritualis, sed ex potentia materiæ eductæ, quod ad rationalem hominis animam referri haud poterit, quæ est immaterialis nec non spiritualis;

ritualis, & per consequens nullæ particulæ animæ in cadavere violenter occisorum remanere, aut sanguinem fluidum reddere poterunt.

§. XXIII. Sufficere possent hæc, verūm, cùm plura adhuc sententiæ nostræ sint contraria, vel tangere placet ea: duplicitis verò sunt generis; initio quidem ad Antipathiam quidam fugientes putant: *Spiritus in cadavere adhuc latitantes præsente homicidâ adeò incandescere, ut iram, quam morientes conceperunt, & cuius species in ipsis supereft, per sanguinis ebullitionem vindictæ cupide, in reum effundant: pro hac opione affertur Delrio lib. I. disp. Mag. c. 3. Qu. q. hinc, quid solidius hæc antipathia ex vehementi odio occisi in occisorem, quod qualitatem latentem ac arcanam impresserit corpori cum cadavere permanentem, se adhuc non videre autumat.* Nec abludit Levinus Lemnius de occult. Nat. mirac. inquiens c. 7. ferè in fine: *quòd si quis statuat, facinerosum ac patrati sceleris reum Antipathia ac dissensione tacitaq; discordiâ id ipsum efficere, non futurus sum in ea re contentiousus.* Sequitur hos Schottus in Magia natur. part. 4. lib. V. Synt. 2. c. 4. nec non Kircherus Art. Mag. part. 9. Qu. postr. c. 3. In primis referantur huc necesse est, verba Lucretii, Poëtæ & Philos. Epicurei: Lib. VI. ita canentis.

libido

*Incitat irritans loca turgida semine multo,
Idq; petit corpus, mens unde est saucia amore:
Namq; homines plerumq; cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, unde icimur idu:
Et si cominus est hostem ruber occupat humor.*

§. XXIV. Denique dantur etiani, qui ad Sympathiam inclinant, sicque se explicant: quando occisor inimicum occidendum aggreditur, *Spiritus occisoris occidendum involant, & contra spiritus occidendi repressuri veluti conatus occisoris, eundem vice versa ingrediuntur, ita quidem, ut in occisore vivant: pòst, quando sanguis in occiso frigefit, Spiritus ibi quiescere coguntur; tandem quando occisor præsens sistitur cadaveri occisi, metu percuditur, quò sit, ut primò, uti in consternationibus fieri solet, spiritus ad cor occisoris in tanta copia confugiant, deinde magnò impetu & motu exteriora membra petant, quin extra corpus se diffundant ad usq; cadaver. Hic jam Spiritus occisoris latitantes expergesiunt, motum cent, & rursus propter Sympathiam cum reliquis occisorem repetunt: Spiritus verò occisi, qui hactenus in occisore wixerant motum faciunt ejus rei, quam habitant*

(habili-

13

(habitant autem sanguinem) & hoc pacto sanguinem in occiso reliquum agitant, donec effluat: binc certum tempus hujusmodi spiritibus, quō vivant, definiunt, aliis ad 10. vel 12. horam à tempore facte cædis hanc vim restringentibus, ut Galeotus; aliis infra horas plus minus sex aut septem, inter quos est Franciscus Valeriola, coarctantibus, citante hæc Licent. Hundeshagen in Tract. de Stillicid. §. 80. 81.

§. XXV. Sed, quid hisce operose inhæremus? suffecisset, si primis tantum labiis hæc delibassemus: quicquid verò sit, quō majora sunt illa, quæ adduximus, eò minus certè horum est æstimium ac pondus. Et, ne dixisse tantum aliquid videamur, lubet, sed brevibus, omnia lustrare sicque, quid in recessu habent, ostendere.

§. XXVI. Illi, qui ad Antipathiam fugiunt, Spiritusque in cadavere latitantes præsente homicidâ incandescere, sicque per ebullitionem vindictæ cupidos, iram in reum effundere putant, falluntur quām maximè. Falluntur propterea, quia impossibile est, posse in aliquo cadavere aliquem vindictæ appetitum remanere; quia enim anima abest, certè & potentia iræ & vindictæ causa aberit, secundūm illud: *ubi nulla causa, ibi quoq; nullus effectus.* Deinde, si spiritus præsente homicidâ in cadavere latitantes incandescunt, id semper præsente occisore fieret & sanguine cadaver stillaret, quippe Antipathia perpetuò est eadem: ovis enim perpetuò luppen timet, columba accipitrem perpetuò fugit &c. Contrarium verò elucescit in stillicidiis violenter occisorum: non enim semper dicta Antipathia observata est, multò minus præsente homicidâ semper cadaver occisi sanguine stillavit. Exempla hujus rei sunt obvia & proptere alegi meretur Libavius Tract. de corp. cruentis p. 154. & 245. in primis §. 13. & 14. hujus nostræ Disp. Manet itaque verissimum, ut alia exinde fluentia taceamus absurdâ, refugium ad Antipathiam nullum esse, eamq; nihil minus quām stillicidium in cadavere occisi præsente homicidâ causari posse.

§. XXVII. Forsitan autem habebunt, quod volunt Sympatheticī? sed nihil est, quod talium cogitationum materiam cuidam suppeditare valeat, quippe is, qui accuratori hæc mentis perpendit bilance, etiam non interrogatus fatebitur, de nihilo esse, quæ Sympathiæ defensores volunt.

§. XXVIII. Concedamus enim dari corporum naturalium Sympathiam, id quod etiam negari non potest: ignis enim se aggregat igni, frigus frigori, hocque exindè, quia manus cuiusdam frigore tacta, aut flammis perusta, curatur flammis & frigore: simile enim in majori copiâ attrahit simile minus; Sic poma ovaque gelu concreta aquæ injecta frigidæ, perdunt

dunt gelu, pristinoque ova ac poma restituuntur vigori. Ast quomodo hæc ad Sympathiam Stillicidium in cadavere occisi præsente Homicidâ, causantem, referri possint ac debeant, non video. Putant enim Spiritus occisi moveri sique sanguinem excitari, quando occisor præsens sistitur cadaveri occisi; verum absurdâ sunt illa, quæ hisce innuuntur; dicerem in occisore potius, quam occiso, quod moveantur Spiritus sique sanguis excitetur, & hoc non absque ratione; nam in necante omnis adhuc perfectè nativus calor invenitur, quem in occiso, cum maximam partem illò destituantur cadavera, invenire non licet; quarè si calor absuerit in cadavere occisi, nihil certè vel parùm de Spiritibus reliquum erit, & per consequens, Spiritus occisorum haud movebuntur, multò minus præsente occitore sanguinem elicient.

§. XXIX. Et quid multis? sibi ipsis contrariantur, seque proprio jugulant gladiò: sumamus enim dari Sympathiam inter occisorem & occisum, quid inde sequetur? num hoc, quod volunt? minimè. Si enim Sympathia nihil aliud est, quam amicabilis corporum naturalium consensus ex similitudine qualitatum ortus, sive potius ipsarum similium qualitatum convenientia, certè nullò modò, imò in æternum non probabunt, quod probare videntur. Quæ enim inter homicidam & violentâ morte peremptum amicitia, quis amicabilis horum corporum consensus? meò quidem judiciò nullus consensus, nulla amicitia: quâ ratione ergò ad unionem sui hostis sanguis inclinabit? & ex quâ Sympathiâ aut compassionē Spiritus illi magnam sanguinis copiam extrahent, sique hæmorrhagiam facient, quos ex interactoris oculis in interficiendum egressos dicunt? sanè ex dictâ & descriptâ Sympathiâ hoc nullatenus fluet.


§. XXX. Cum itaque nihil haec tenus obtinuerint Sympatheticî illi, nec credo aliquid obtinebit Galeotus, qui ad 10. vel 12. horam à tempore cœdis commissæ hæmorrhagiam istam extendit, multò minùs Franciscus Valeriola, qui infra horas plus minus 6. aut 7. hæmorrhagiam istam coarctat. Constat enim non solùm post aliquot dies, horas, septimanas, sed etiam annos cadavera occisorum sanguine stillasse. Posset, si opus esset, de singulis horum unum vel alterum allegari exemplum, verum, cum partim in antecedaneis hæc jam præstiterimus, partim etiam in conflictu illa recensebuntur, colophonem hic nostro levi ac brevi labore in Nomine DEI addimus, cui etiam sit

LAUS, HONOR ET GLORIA IN SECULA!


AS (O) SE

ULB Halle
006 301 584


3



VDA7



FarbKarte #13



ADSPIRANTE NUMINIS DIVINI
GRATIA! *1698, 4* 19
De
CAUSIS STILLI-
CIDI SANGVINIS IN
CADAVERE VIOLENTER
OCCISORUM PRÆSENTE HOMICIDA
CONSPICUI,
DISSERTATIO PHYSICA,
Quam
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
CONSENTIENTE,
IN ACADEMIA PATRIA;
Publico placidoque Disputantium examini subjicient,
M. FRIDERICUS Seuberlich/
Regiom. Pruss.
P R Ä S E S,
Et
JOHANN. LUDOLPH. LOCK,
Regiom. Pruss.
R E S P O N D E N S,
IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM,
Anno M DC XCVIII. Die 23 August. Horis consuetis.
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.